



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.


## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

NATIONALBIBLIOTHEK  
IN WIEN

153251-B

ALT-



153251-B



MERITIS INTRARE LICEBIT.

DISPUTATIO JURIDICA  
138. q. 54. INAUGURALIS  
DE  
HOMINUM STATU NATURALI, O-  
RIGINE CIVIUM, EORUMQUE SALUTE.

2 V M,  
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*  
D. JOHANNIS JACOBI RAU,  
MEDICINÆ DOCTORIS EJUSQUE ET ANATOMIÆ  
ET CHYRURGIÆ PROFESSORIS ORDINARIJ.

NEC NON  
*Amplissimi SENATUS Academici Consensu, & Nobilissima Facul-  
tatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,  
*Eruditorum Examine submittit*

CORNELIUS BACKER, *Amstel. Batarus.*  
*Ad diem 21. Julii 1718. horâ decimâ locoque solitò.*





*AMPLISSIMIS SPECTATISSIMISQUE*

V I R I S

D. WILHELMO BACKER, J. U. D.  
PARENTI OPTIMO, OMNI QUA FI-  
LIUM DECET REVERENTIA AC  
PIETATE AD MORTEM USQUE  
COLENDO.

D. JOHANNI BACKER, J. U. D.  
REIPUBLICÆ AMSTELODAMENSIS  
SENATORI, JUDICI, EJUSQUE NO-  
MINE AD CONCESSUM RERUM  
MARITIMARUM, QUI MEDIOBUR-  
GI EST, DELEGATO.

D. JACOBI BACKER, J. U. D.  
JURISDICTIONIS BURENSIS ET A-  
GRORUM CIRCUMJACENTIUM  
PRÆSIDI ET INSPECTORI; PA-  
TRUIS PLURIMUM HONORANDIS.




D. P E T R O DE LA COURT  
VANDER VOORT, J. U. D.  
AVUNCULO UNICO, AD EXTRE-  
MUM VITÆ HALITUM USQUE O-  
MNI. AMORIS ET OBSEQUII GENE-  
RE PROSEQUENDO.

N E C N O N

D. G E R A R D O N O O D T,  
JURISCONSULTO, ET IN CELEBER-  
RIMA. ACADEMIA LUGDUNO BA-  
TAVA. PUBLICI ET PRIVATI JU-  
RIS ANTECESSORI ORDINARIO:  
FAUTORI SUORUM, STUDIORUM,  
AC PROMOTORI.

*HANC DISPUTATIONEM INAUGU-  
RALEM, EA QUÆ PAR EST PIE-  
TATE ET REVERENTIA DEDI-  
CAT CONSECRATQUE*

CORNELIUS BACKER.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

DE

HOMINUM STATU NATURALI, O-  
RIGINE CIVIUM, EORUMQUE SALUTE.

Caput Primum.

*De Hominum Statu Naturali.*



Lurimas è corpore juris Romani ma-  
terias, cum sæpius atque iterum tra-  
ctatas conspicerem ; quænam mihi  
servanda foret dubius hæsi. Tandem  
Genium secutus, ad hanc præclaram  
accessi DE HOMINUM STATU  
NATURALI, ORIGINE CIVI-  
UM, EORUMQUE SALUTE.  
Præsertim quod à teneris LIBER-  
TATEM, CIVIUMQUE SALU-  
TEM, vitâ mihi longè chariorem duxerim. Quam ut distin-  
ctius

A

ctius

ctius à capite arcessam, hominem, nullis nisi naturalibus devinctum legibus, in Naturali suo statu, conspiciendum, opinio mea fert.

Licet præ cæteris animantibus animâ præditus sit, & illud habeat homo cum brutis commune, ut nihil se ipso charius existimet, atque, quæ sibi bona videntur, quærat, declinetque à malis; in eo tamen longè deterioris conditionis apparet, quod vix ullum aliud animal, tanta à nativitate prosequatur imbecillitas, cum plurimum annorum spatium requiratur, ut solum ipsum sustentare, sibi que victum ac necessaria comparare possit.

Parentum curâ licet ad ætatem pervenerit proveciorem, nihilominus tamen haud definit esse infelix, si extra consortium hominum sit, otiosam enim vitam cum tædio degere tenetur, sese, adversus impetum ferarum in ipsum irruentium, tueri non valens; præterea æquò animò injurias contumeliaeque sibi illatas, nisi sit homo valentissimus in se suscipere tenetur, argumento Leonis Æsopici. PHÆDR. lib. 1. Fab. 5.

Ex eo quod homo se ipsum diligit, naturâ sui conservandi studiosus, egenus per se, atque defendendi locum non habens ex sese, nisi alii illi adsint; sequitur, quod vel solus debeat perire, aut cum aliis sese jungere, ac societatem inire. DEUS enim TER OPTIMUS MAXIMUS, quod homini à natura deërat, abundè ex mutua hominum ope supplevit; ita ut homini, præter Deum, nil sit utilius quam homo; quam obrem hominem socialem esse voluit, quod apparet ex *Genes. cap. 2. vs 18.*

Idecirco quidquid societatem inter homines commendat, hominemque monet ita se gerat erga illos, quorum auxilio indiget, ut ipsis nullam lædendi legitimam præbeat rationem, vocatur Lex Naturalis; quæ pro fundamento habet, juxta GROTIUM lib. 1. cap. 1. §. 10. n. 1. *dictatum recte rationis, indicans actui ælicui ex ejus convenientia aut disconvenientia cum ipsa natura rationali inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, ac consequenter ab auctore Natura Deo talem actum aut vetari aut præcipi.* Neque illa GROTII definitio obscura mihi videtur, sicuti S. PUFFENDORFIO de *Jure Nat. & Gent. lib. 2. cap. 3. §. 4. in fine*: nam si quærat unde hæc moralis descendat turpitudinis aut necessitas, responderi poterit *ex convenientia aut disconvenientia*

*entia necessaria cum ipsa natura rationali & sociali.* vid. J. BARBEYRAC in notis ad PUFFENDORFII locum allegatum; cui jungas GROTIUM *de Jur. belli ac Pacis lib. 1. cap. 1. §. 12. n. 1.*

Hæc autem lex Naturalis ut maximi ponderis sit, DEUM auctorem proponere necesse est, & ab ipso pro imperio socialitatem hominibus esse præfinitam. Hinc descendit Religio Naturalis, quæ docet DEUM tanquam Creatorem colendum & agnoscendum, hominique ei in æternum gratias esse agendas pro tot acceptis beneficiis, obtemperantiam præbendam, atque imaginem ejus admirandam, summoque conatu Naturæ leges, in animis omnium inscriptas, observandas; secundum *Epistol. Pauli ad Rom. cap. 2. vs 15. Jerem. cap. 17. vs 1.*

Hisce neglectis temporalis poena ad coercendum improbum parum sufficeret; nam illud tritum invalesceret: *Qui mori scit, cogi nescit.*

Unusquisque juxta legem Naturalem pro viribus aliquid ad societatem humanam conferre tenetur: imprimis illud præceptum observandum, ALTERI NE FECERIS, TIBI QUOD FIERI NOLUERIS; rectè enim unusquisque semet ipsum conservat, ac modico potu & cibo corpus suum sustentat; imò vitam suam aliis, urgente necessitate, optimâ ratione præfert, nam bene ordinata charitas à se ipso incipit.

Inveniuntur tamen D. D. qui animo scrupulum injiciunt, laudabilius esse asserentes, ab aggressore lucis usuram eripi male, quàm perimere; dum is periculum damnationis æternæ incurrat. Sed quis in ejusmodi calamitate, ubi de periculo vitæ agitur, excogitandi talia unquam locus erit. Hæc amplius sententiâ favor improbis feliciter succedit, & porta criminibus aperitur; pii in vasoribus exponuntur. Servatoris præcepto quidem jubemur *Proximum diligere sicut nosmet ipsos*, non autem præter nos: illud dictum sic explicandum credo, quod proximum tali amore sincerò atque infucato prosequi debeamus, quasi nosmet ipsos. adde 2. *Corinth. cap. 8. vs 13. Non enim dico ut alius sit relaxatio, vobis autem afflictio: sed ut pari conditione quod vobis superest, suppleat hoc tempore quod illis deest.* CIC. *Tuscul. Quæst. 1. 3.* „ Præclarum illud est, & rectum, & verum, ut eos, qui

A 2

,, no-

„ nobis charissimi esse debeant, æquè ac nosmet ipsos amemus:  
 „ ut verò plus, fieri nullò pactò potest. Ne optandum qui-  
 „ dem est in amicitia, ut me ille plus, quàm se amet, ego il-  
 „ lum plus, quàm me; perturbatio vitæ, si ita sit, atque of-  
 „ ficiorum omnium consequatur.

An aggressor iniquus sub nomine proximi comprehendi pos-  
 sit, valde dubium. *Luc. cap. 10. vs 29. & seqq.* quare *Lactantius*  
*Divin. inst. l. 6. c. 18.* Ciceronis verba carpit, quod in *lib. 3.*  
*offic.* dixerat, *cum esse virum bonum, qui profit, quibus possit, no-*  
*ceat nemini, nisi laceffitus. Quid enim opus fuerat, inquit, ad-*  
*jungere nisi laceffitus injuriâ? nociturum esse dixit virum bonum: si*  
*fuerit laceffitus: jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est,*  
*si nocebit.*

## Caput Secundum.

### *De Matrimonio Naturali.*

**N**e brevi, unius nempe ætatis spatiò, exstingueretur ho-  
 minum genus, morti obnoxium, CREATOR SAPIEN-  
 TISSIMUS ardentem illam sexuum inter se proclivitatem, ad  
 inanem satiendam voluptatem, instituit: hinc matrimonium pri-  
 mum vitæ socialis specimen, meâ saltem opinione, rectè dicitur;  
 cujus, ultra vitæ consortium, præcipuus finis ad propa-  
 gationem sobolis spectat.

Hiscè consequens est, Naturalem legem flagitiosum illum appe-  
 titum, quò homines in bruta, aut parem sexum irruunt, ma-  
 ximopere damnare, nec non illas libidines, quæ ad nullum  
 præter obscœnæ titillationis finem tendunt.

Porrò ad evitandam summam prolis confusionem, quam va-  
 gus induceret concubitus, & ut jucundior inter conjuges foret  
 usus, obligatio aliqua matrimonii contrahendi nata est, quæ  
 præcipuè in ope præstanda & fide servanda consistit. Nemo  
 enim marium vagæ prolis curam, neque sumptuosam atque la-  
 boriosam educationem in se susciperet, nisi ex se genitum esse  
 filium

filium sciret, quod citra matrimonium pater vix scire potest.

Difficili hac in parte quæstioni locus erit, an lege Naturali quædam prohibita sint matrimonia, nec ne. Distinguunt D. D. Vel fit concubitus inter lineam collateralem (fratrem & sororem) vel inter lineam adscendentem aut descendentem (patrem & filiam, matrem & filium.)

GROTII in *lib. 2. cap. 5. §. 13. n. 5.* hæc verba sunt: *Has autem leges, ne fratres sororibus miscerentur, ipsi Adamo censent datas Hebræi simul cum lege de DEO colendo, jure dicendo, non fundendo sanguine, non colendis Diis falsis, non rapiendâ re alienâ: sed ita ut leges conjugales vim suam non exercerent, nisi post multiplicatum jam humanum genus, quod ipso initio sine fratrum & sororum nuptiis contingere nequivit &c.* quæ nimis confusa mihi videntur; nam si Naturalis lex hosce damnasset amplexus, ab initio, cum duos creasset homines, æquè plures creare potuisset DEUS OMNIPOTENS, qui si aliquid fecisset non convenienter Naturæ, hoc fecisset sibi contrarium, quod in dubium de DEO revocare, summum esset piaculum: itaque per se, nî fallor, liquet, tales coitus à Natura in medio esse relictos.

Altera, an à Natura damnentur amplexus paterni aut materni, intricatior erit quæstio, quæ sæpius ab eruditissimis viris ventilata est; quidam enim existimant licitos esse Jure Naturæ, apud alios contraria sententia recepta est: utriusque opinionis argumenta breviter proponam, ut unusquisque, hac de re quid statuendum sit, dijudicare possit.

Ab omnibus ferè in Europa gentibus tales concubitus tanquam juri Naturali contrarii damnantur, præsertim quia pudor Naturalis atque reverentiâ obfata videtur, adde quod hoc modò magna nominum oriretur confusio, idem enim & pater esset & maritus; mater filii sui soror existeret &c. quapropter talia matrimonia etiam pro incestuosis in jure civili sunt recepta, atque magnopere vetita.

Hiscæ qui adversantur, pudorem ac reverentiam non ex Natura, sed ab institutione, quâ unusquisque à teneris inducitur ab iis, inter quos jure Civili hæc matrimonia fuere prohibita, provenire existimant: & nullius momenti nominum confusionem ducunt: variis exemplis hoc illustrari putant: nempe Lo-

thum non abhorruisse à concubitu filiarum, nec vice versâ filiarum ab ipsius; illud Ovidii *Metam lib. x. fab. 9.* præterea allegant.

———— *Gentes tamen esse feruntur,  
In quibus & nato genitrix, & nata parenti  
Fungitur, & pietas geminato crescit amore.*

Quænam sententia amplectenda sit aliorum judicio relinquo. Haud negaverim tamen optimâ ratione talia jure Civili esse prohibita, sive Natura hæc in medio reliquerit, nec ne.

An maritus à jure Naturæ in uxorem imperium habeat, sæpius dubitatum est.

Ob præstantiam sexus, viri cæteroquin egregii, maritis aliquod à Natura datum imperium in uxores asserunt, quam sexus præstantiam non satis acie mentis dispicio; licet enim mariti vulgò sint robustiores, imbecilliores quoque reperiuntur, & uxores robustiores; quid, si rempublicam Amazonum commemorarem, dici poterit, ubi sexus foemineus tantum jura præscribebat; idem evenit in illis regnis ubi Regina regit, quæ si privato nubat marito, eundem & maritum habet & subditum. Præstat igitur confiteri omnes homines à Natura esse æquales, potiusque dicamus mariti in uxorem imperium non à Natura, sed à posteriori consensu atque instituto ortum; etsi contrarium senserit eruditione conspicuus vir H. GROTIUS in *lib. 2. de Jur. Belli ac Pac. cap. 5. §. 8. n. 1.* in hisce verbis: *Consotiatio maxime naturalis in conjugio apparet. Sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus uxoris caput, nempe in rebus conjugii, & in rebus familiæ, nam uxor pars fit familiæ maritalis &c.* Hæc consotiatio nullum imperium inducit, sed mutuum adjutorium: finis enim matrimonii, quod supra jam monuimus, duplex est, nempe procreatio liberorum, eorumque educatio, deinde mutua fides & auxilium. Præcipuè pro mea militat sententia, quod DEUS, si à Natura uxori præfuisset maritus, supplicii loco non dixisset *Ævæ in Genes. cap. 3. vs 16. Admodum multiplico dolorem tuum, etiam conceptus tui, in dolore paries liberos, quin erga virum tuum appetitus tuus esto, & ipse præsto tibi.* Ca-

## Caput Tertium.

### *De Parentum Potestate in liberos à Natura concessa.*

**P**arentibus erga se invicem nihil imperii à Natura datum esse, fatis, opinor, demonstravimus in Capite superiori: quid de liberis, è matrimonio Naturali provenientibus dijudicandum sit, in hoc operam daturi sumus.

Cum diversa inter hos ac parentes complexu suo coërceat ratio, alia mihi quoque hoc in casu arridet sententia. Parentes enim soli existentes in statu Naturali, nemini nisi DEO reverentiam debent aut obsequium: liberi insuper morigeri circa parentes esse tenentur.

Quodnam imperium in liberos Natura parentibus indulserit, videamus.

Quum DEUS O. M. hominem socialem esse jussit, præ cæteris liberorum curam injunxit parentibus, quæ ne negligetur, tenerrimum affectum in prolem iis inculcavit; nihil enim tam naturale est, quam ut generatus à parentibus, ab iisdem conservetur, quapropter educatio jus generationi concedit; quæ educationis cura rectè exerceri nequit, nisi parentes potestatem habeant dirigendi actiones liberorum ad ipsorum salutem, idcirco aliquod imperium in liberos à Natura parentibus concessum est.

Adde, quod tacitus videatur intervenisse consensus, quò infans non expressò, sed tacitò pactò parentibus curam in se commisisse intelligatur; licet infans propter latitantem rationis usum vicissim circa parentes officia promittere expressè nequeat, parentum tamen opera adversus eum obligationem acquirit, non minus ac si expressus accessisset consensus, ideoque *consensus cum ratione præsumptus, pro expresso valet. Senec. consol. ad Marciam cap. 18.* non lecus ac is, qui ignorantis & absentis negotia  
ge-



gerit, cui restituendum quidquid utiliter in rem ejus impenderit *l. 2. D. de negot. gest. cā de re inter gestorem, & cujus negotia gesta sunt obligatio veluti ex contractu tacito nata intelligitur.*

Ex antecedenti abundè liquet, non parentis modò, sed hominis animum exuisse illum, qui prolem suffocat, vel intra materna viscera hærentem, elidit. *l. 4. D. de extraord. crim. l. 8. D. ad legem Corn. de Sicar. l. 38. §. 5. D. de pænis.* Aut alienæ misericordiæ exponit, quam ipse non habet; filium enim hic æquè necare videtur, ac si eum strangulet, juxta Pauli sententiam in *l. 4. D. de agnosc. & alend. lib.* quibus jungas JULIUM PAULUM longè celeberrimi viri G. NOODT tractatum pereruditissimum.

Abst̄ ut à Natura concessam parentibus in prolem potestatem ad jus vitæ & necis ex occasione delicti exercendum porrigi existimaremus: prudentius hæc ad modicam duntaxat castigationem restringenda erit. Jure autem meritò puer disciplinam malitiosè adspiciens, corrigi si nequeat, citra spem emendationis, à parentibus abdicatur, domoque expellitur.

Satis memini leges antiquitus Romanas patri in filium jus vitæ ac necis concessisse; hunc tamen in finem nequaquam illum permisere, quod vellent filium generari, ut esset quem pater perderet; sed quia filio utile erat à patre se regi, atque educari, nec periculum esse censeretur, ne plus nimio durior, quàm oporteret, in prolem pater esset; metuendum ne lenior existeret: cujus contrarium cum aliquando intelligeretur, hæc patria quoque potestas imminuta est.

Tria tempora in liberis distinguenda optimè præclarus observat GROTIUS *de Jure belli ac Pac. lib. 2. cap. 5. §. 2. n. 1.* Primum imperfecti judicii τῷ βουλευτικῷ ἀτελεῖς, ut Aristot. Pol. I. C. ult. loquitur, dum abest Προαίρεσις, vis electrix; in quo omnes actiones liberorum sub dominio sunt parentum. æquum enim est, ut qui se regere non possit, regatur aliunde; nemini autem tam naturaliter regimen competit, quam parentibus.

Dubitatur an isthoc tempore puer sit capax domini jure Naturali, adversus parentes valituri: nam uti rerum dominium naturaliter transferatur, à parte donantis requiritur translatio, &

à

à parte donatarii acceptatio, quæ citra sensum deliberatum fieri nequit.

Etsi infans in prima ætate rationis expertus sit, attamen alius pro ipso rectè acceptare potest, ejusque bona administrare, quam ad rem parentibus propior nemo est. Ex hisce constat naturaliter talium rerum dominium non parentibus sed filiis acquiri: licet naturali haud repugnet rationi parentes uti frui illis posse, ex iisque filios alere, donec administrationem ipsi suscipiant.

Neque ulla cogit necessitas, ut distinctionem adhiberemus inter bona propriâ industriâ parta, & aliunde venientia. Quantillum enim est, quod in hac ætate per propriam possit acquirere industriam puer? saltem id non excederet, quod à parentibus in ipsius educationem impenditur, ideoque jure meritò hoc ab iis vindicari posset.

Alterum tempus, secundum Clariss. GROTIUM *lib. 2. cap. 5. §. 2. & 3.* est perfecti judicii, sed dum filius pars manet familiæ parentum: cum judicium ætate maturuit; subsunt parentum imperiis non aliæ actiones, quàm quæ ad familiæ paternæ aut maternæ statum aliquid momenti habent: in cæteris autem actionibus habent tum liberi *ἐξουσίαν*, id est, facultatem moralem agendi, in illis tamen tenentur studere ut parentibus placeant.

Tertium tempus est, postquam ex parentum familia excessit filius; in omnibus tunc est *ἀνεξέσιτος*, sui juris, manente tamen semper pietatis & observantiæ debitò, cujus causa est perpetua, quippe orta ex antegressis parentum meritis *Plato de LL. lib. 4. & lib. 21. p. m. 975. Arrian. Epict. lib. 2. cap. 10.*

Quare hæc GROTII distinctio Zieglero displiceat, nullâ sane ratione videre possum. Licet enim in sacris litteris *Exod. 20. vs 12. Ephes. 6. vs 1. Col. 3. vs 20.* liberis erga parentes pietas inculcetur instinctè, tamen, ne aliò modò habeantur infantes primæ ætatis, aliò plenâ ætate juvenes, nusquam me legisse præceptum memini.

## Caput Quartum.

*Queritur Patris an Matris imperium in prolem debeat præferri.*

**F**requens inter D. D. exquisitum fuit, Patris an Matris jus in liberos debeat præferri.

Patris præferendum ob sexus præstantiam affirmat GROTIUS *lib. 5. cap. 1. §. 1.* Si inter se contendant imperia: quod in jure civili ita quidem receptum est: mariti nimirum in suum honorem leges condunt; quæ facultas si mulieribus concederetur, idem facturæ essent.

HOBBS è contrario in libro suo *de Cive cap. 9.* sexus præstantiam non efficere putat, ut patri potius præ matre jus in prolem sit, matri enim jus originarium in prolem attribuit, quia præ mare laboriosam atque molestam operam ad prolis generationem contulit, quippe quæ eandem utero diu gesserit, & ex se aluit. adde *Quintiliani declamat. 338.* *Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes, quos liberis suis entra posita voluptates conciliant, aliter amant, quæ peperunt, quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes afferunt.*

Rem uti attentius consideremus, aliqua præmittenda videtur distinctio.

Extra civitatem in Naturali degentes statu homines, vel matrimonium contraxere vel non.

Ubi matrimonium intercessit, illud vel nudum est, vel pactum involvit.

Si pactum involvat, controversiæ locus non est, nam promissis standum esse, neminem fugit: hinc suprema potestas apud Babylonios penes patrem erat in filios, sed in filias penes matrem.

Si nudum matrimonium in initum sit, in quo fides præcipuè &

mu-

mutuum requiritur adiutorium; par maris ac foeminae conditio mihi videtur.

In capite praecedenti nihil imperii maribus in uxores concessum ostendimus; quin idem circa potestatem in liberos dicamus, nulla dissuadet ratio: cum uterque aliquid generationi contulerit, neque unus solus generationi sufficiat.

Hæc ideo magis mihi arridet sententia, quia educationem jus generationi addere asseruimus: hisce consequens est, ut imperium in liberos, non tam ex generatione, quam ex educatione sit interoscendum.

Pro hac mea opinione illud *Plinii* militat *lib. 10. cap. 34. de Columbis. Amor utriusque sobolis equalis.* In mutis enim animalibus, quæ non in vago procreant, sed uni foeminae sese copulant, horum fetus communis est, neque mares præ foeminis sobolis curam gerunt.

Ne rixæ atque perpetuæ lites, si inter se dissentiant parentes, sæpius orirentur, consultius procul omni dubio est, pactum aliquod injungi.

Ubi autem de matrimonio non est cogitatum, sed vagus consecutus concubitus, in illo statu, partum ventrem sequi debere naturalius est, jure accessionis. l. 24. *D. de Statu hom.* Si enim mater plures admiserit, nemo pater certus inveniri potest; convenienter juri Romano. §. 31. *Inst. de rer. divis. l. 7. §. 13. D. de acquir. rer. domin. l. 5. §. 2. D. de rei vindic.* quamquam contrarium veterum *Ægyptiorum* institutum tradat *Diodorus Siculus. l. 1. c. 80.*

## Caput Quintum.

*Quenam in Civitates coeundi homines moverit necessitas.*

**H**omine in Natutali statu consideratô, Naturam dominum aut servum, magistratum aut subditum agnovisse, in du-

biūm revocare, mera foret infania. Mentis enim unicuique compoti luce meridianā clarius apparet in pari conditione omnes homines pro portione à Natura esse constitutos, & omnia illa in medio posita, quæ ad conservationem sui requirebantur. Quo bonum sibi quærant, & declinent à malo, usum rationis præter cætera animalia hominibus tantum indulfit DEUS OPTIMUS MAXIMUSQUE. Ne tædio solitudinis, aut cūm brutorum, tum aliorum hominum damnum sentirent, inter se societatem observandam iussit. Ut arctior esset hic affectus socialis SUMMO GENITORI placitum est inter homines quoddam sanguinis vinculum esse, quippe ab iisdem ortos parentibus: tradente illud *Florentino in l. 3. D. de Just. & Jure.*

Quamquam hominibus tantam Natura concesserit licentiam atque libertatem, flagitia minimè permisit; invitatur enim ad societatem omnes, quæ, si injuriam alter alteri, nisi prius lacessitus, impune inferret, consistere non posset. Nam qui vult finem, media usurpandi facultatem concessisse intelligitur, sine quibus ad finem perveniri nequit.

Liceat mihi hęc occasione unà cum Præclaro Viro G. NOODT, in *dissertatione sua de Jure summi imperii*, Præceptore meo, optime de meis studiis merito, declamare: „ Uti „ nam sanctissimi hujus Naturæ instituti fructum peræque sensissent omnes! profectò potuissent, sicut à Natura facti essent, suò vivere ingenio: nec fuit causa, quā induci potuissent, ut magis alterius, quàm suò arbitrio regerentur. Sed, proh dolor! malitia generis humani, proclivitas ad alium nocendum, avaritia, ambitio & ira tandem singulis necessitatem imposuit remedia excogitandi, quibus adhibitis injurias aliorum à se arcere valerent: quamobrem in civile corpus communi consensu coiere, in quo naturalis quidem singulis concessa fuit libertas, sed hęc lege, ne unus jus alterius imminueret, & adversus secus facientem omnes simul conjunctis viribus irruerent; & sic paulatim leges civiles sunt conditæ. Cūm enim plures ad securitatem communem convenissent, legum metu atque auctoritate prohibendum erat, ne iidem, loco mutui auxilii & rei publicæ, suo privato studerent commodo, quoties illud communi contrarium esset. Rectè inquit *Proculus in l. 65.*

§. 5. D. Pro socio. Semper enim non id, quod privatim interest unius ex sociis, servari solet, sed quod societati expedit.

Quia duo vel tres ad civitatem firmandam non sufficiunt: quisnam, quæso, tantilli numeri, ad securitatem præstandam, foret effectus? quæritur idcirco, quantus requiratur. Hunc numerum sat esse puto, quò insidiantes possint depelli vicini, atque læsis auxiliariæ. Eiusdem meminit *Plato de LL. lib. 5.*

Hæc regiminis forma, vulgò DEMOCRATICA dicta, illud præ aliis speciale habet, quod Democratia instar sit ille cætus congregatus, perficiaturque si foedus ictum sit circa conjunctionem sui in unam civitatem; ita ut minor pars, licet dissenferit, suffragiis plurium submittere se, parata sit: hæc enim imprimis videntur in Democratia necessaria: 1. ut certus locus & tempus conventionibus designetur, ubi de summa rerum sit dijudicandum. 2. Ut majoris partis suffragia valeant pro universis.

Quod si pares sint sententiæ, nihil agetur, quia ad mutationem non satis momenti est. CL. GROTIUS *lib. 2. cap. 5. §. 18.* Ubi autem de reo condemnando vel absolvendo agitur, in hoc casu reus absolvitur. Nam inter dispares sententias, mitior vincat.

Ufû aliquando venit, ut diversa suffragia possint conjungi; aliquando hoc fieri nequit. Exemplum dabo. Si unus condemnet in decem, alter in viginti, tertius absolvat. Sententiæ priorum possunt conjungi, quatenus minor summa majori inest. tertii planè totà re differt. Absentium suffragia majori numero adnumeranda sunt. Sic *Seneca lib. 3. contrav. 19. Puta te servum esse communem; huic domino servies, qui præsens est.*

Cùm omnes intelligerent, quanti laboris esset, singulis se convenire momentis, imperium quibusdam ingenii acutioribus demandari, sibi conducere existimârunt; qui rem agerent publicam omnibusque consulerent.

Ad hanc classẽ ARISTOCRATIA referri debet, quæ ex ipsa denominatione dignosci potest. Oritur enim ab ἀριστος, optimus, & κρατίω, rego, quasi dicas OPTIMORUM REGIMEN.

Denique singulis, quas à Natura acceperant vires opesque in UNUM transferre placuit; quem, ob vitæ integritatem, experiensque in omnes studium, unicuique jus à Natura concessum

æqualiter sine ira aut affectu servaturum, sibi persuasum habebant.

Hinc descendit Status MONARCHALIS, seu *Monarchia*.

## Caput Sextum.

*Licetumne sit, Civitate constitutâ, aut singulis aut universis, ex ea discedere, nec ne, pugnantibus inter D. D. sententiâ.*

**I**N civile corpus cùm omnes consenserint, quibus demigrare liceat, attentius disquiramus.

CL. GROTIUS, optimus Juris Naturæ interpretes in *lib. 2. cap. 5. §. 24. n. 1. & seqq.* singulis discedere licere affirmat, non autem convenire, ut gregatim hanc societatem deserant: nam ubi publica semel contracta est societas, ad utilitatem toti corpori Civili procurandam, illud quod ab initio voluntatis fuerat, postea jam factum est necessitatis: quod si in unum sarcinulas colligerent, exhauriretur civitas; & placitum est ex necessitate finis, hoc pactum esse intelligi.

Nonnunquam ne quidem singulis civitatem mutare licebit, si nempe ad illam descenderint conditionem, aut illud communi non expediat saluti: veluti si obsidium metuatur: vel si fiduciâ multitudinis bellum susceptum sit: aut magnum æs alienum contractum; quo tamen in casu, si pro rata portione nummos conferre paratus sit; aliumve æquè idoneum ad civitatem defendendam substituat, unicuique abire integrum dabitur, ne quis in civitate maneat ingratis.

Huic GROTII opinioni contrariam suam defendit eruditione præstantissimus S. PUFFENDORFIUS *lib. 8. de Jur. Nat. & Gent. cap. 11. §. 3.* non enim singulis tantum, sed etiam turmatim civitatem deserendi copiam facit. Sic argumentatur.

Si singulis pro arbitrio demigrare concedatur, quidni idem  
li-

liceat pluribus, quibus sedem fortunarum eodem tempore alibi collocare commodum est; eâ tamen lege, si decorum & debitum observent. Nam qui jus non habent me invitum retinendi, illis nulla injuria imponitur, si demigrem; licet debilitetur civitas, propterea societas inter homines non tollitur: quidquid decrevit huic, alteri accrescit. *Ciceronis* illud *pro Balbo* memorat 27. „ Jure nostro neque mutare civitatem quisquam in-  
 „ vitus potest, neve si velit; mutare non potest, modo adsci-  
 „ scatur ab ea civitate, cujus esse se civitatis velit. *Et paulo post.* „ Multi etiam superiore memoriâ cives Romani suâ vo-  
 „ luntate indemnati, & incolumes, his rebus relictis, alias se  
 „ in civitates contulerunt. Neque pactum, quò ab initio Ci-  
 „ vitatem inierunt, constringere singulos putat, ut in Civitate  
 maneat inviti. Eòdem modò aliis societatibus renunciare po-  
 test socius, si id fiat citra dolum malum, aut societas ad tem-  
 pus sit contracta.

**WERNHER** Grotii causam suscipit, in *Elementis Jur. Nat. & Gent. cap. 26. §. 4.* Quidquid singulis in corpore civili licet, idem multitudini, utilitate publicâ illud exigente, jure interdici posse, contendit; sive pactum expressum sit, nec ne, in civitate formanda, ne gregatim societatem deserant, pactum debere intelligi: neque ad rem facere quidquam, hominum societas conservetur in genere: sed huic speciali Civitati, ne pereat, incumbendum.

**HERTIUS**, in annotatis ad *S. Puffendorffii* locum supra allegatum; discessum sine venia impetrata, ne singulis quidem concedendum, asserit, sed à voluntate summi imperantis, nisi consuetudo aut lex specialis aliud introduxerit, dependere, ut is dijudicet, an cessus reipublicæ damnosus sit. *Ciceronis* locum à *Puffendorffio* notatum, pro sua sententia facere existimat; inde enim deducit jus mutandæ civitatis esse beneficium, & Romanis ex lege competiisse.

Nisi summi imperantes effrenatæ suæ libidini potius, quàm bono communi, operam dantes, demigrationi causam præberent, vix, meò arbitrato, talis casus existeret, secundum illud *Ovidii ex Ponto lib. 1. Epist. 3.*

*Nescio*



*Nescio quâ natale solum dulcedine cunctos  
Ducit, & immemores non finit esse sui.*

Quamobrem, nî maluerint in civitate deserta tyrannidem exercere, curare debent Magnates, ut regiminis perniciosissimi formam mutant, populo, ac per consequens sibi consulant.

## Caput Septimum.

### *De SALUTE POPULI in genere.*

Quia homo sui amantissimus à Natura natus est, nunquam cætui se jungere præsumitur, nisi proprii sui commodi causâ, idcirco præ cæteris primæva Naturæ lex in societate ineundâ observari debet. Sive de hac à Natura concessa facultate conservandâ expressè convenerit, nec ne, res eodem redit; nam sui conservandi studium non temerè in animis hominum infixit DEUS, ut illud negligenter.

Cæterùm hoc pacto generali, speciales addi possunt conventiones: ut hoc vel illô modô de communi commodo decernatur, vel ut omnes convenire debeant, vel quibusdam demandetur summa potestas: vel uni tantum: huic rursus ut adjungatur consilium quorundam, & similia; quæ si expressa non sint, neque observanda erunt ab iis, penes quos est jus summi imperii.

Hic autem Majestatem summamque potestatem habere dicitur, cui populus ex voluntate omnium publicum bonum gerendum commisit, cuique opem præbere, atque vim addere, ut rem agat publicam, pollicitus est.

Summi illud imperii jus, in statu Democratico, omnes sibi asservârunt; quibusdam designatis in Aristocratico concessêre; apud Unum in Monarchali deposuerunt.

Verfatur cum primis circa condendas leges, belli gestionem, confectionem pacis & judicia exercenda.

Regulæ, quæ universis quid honestum, quidve inhonestum; æquum,

æquum, iniquum; utile, vel inutile sit, docent, legum appellatione occurrunt; hæc autem non tam de sacris, quàm de profanis sanciantur: nam, propriè si loquamur, de religione nulla lex ferri potest, nisi quatenus illa mores humani generis corrumpet, quæ semper ad honestum spectare debet, non autem ad turpia, vel societati humanæ contraria. Hinc is, cui rerum sacrarum cura incumbit, curare debet, ne sub simulatione religionis immoleantur homines, & sic de similibus. Hanc materiam fusius stylo elegantissimo absolvit CL. NOODT in *dissertatione de Religione ab Imperio jure Gentium liberâ*.

In harum confectione SALUS POPULI PRO SUPREMA LEGE EST HABENDA; præcipuè curæ & cogitationis pars in eam rem est derivanda, ut securius cives commodam degant vitam; bonis imbuantur moribus; rectè temperentur pœnæ; idonei adhibeantur ministri; facultates civium promoveantur; liberentur omnes ab insidiis; in quietâ rerum maneat possessio; fides erga omnes & ab omnibus servetur; cultum Divinum suò more & ritu ex animi sententia exercent; denique fructum socialis vitæ sentiant.

## Caput Octavum.

*An PRINCEPS immediatè à DEO descendat,  
ac possit ob justam causam removeri?*

**P**rincipem non sui sed populi gratiâ creatum in *Cap. 5.* asseruimus: sed novæ hic ab eruditissimis hominibus oriuntur turbæ, qui existimant Majestatem proximè à DEO Principi concessam, ideoque, licet in Tyrannum degeneret, à populo removeri non posse. Huic sententiæ minimè subscribendum, ingenuè fateor; licet in confesso sit Majestatem eòdem modò ac omnia à DEO descendere. Nam facultatem Regis creandi DEUS populo concessit, hunc, in quem sua jura transferant, ut civile corpus confervetur, elegere; quid nî Principem removeant,

C

veant,

veant, si populi viribus ad eorum perniciem abutatur. Ratione enim fiunt Principes, quam rationem à DEO accepimus; si denuò ratione puniantur, à DEO puniuntur. Si id agit Rex, ut libertatem civium perdat, hoc tanquam privatus agit, sine ulla populi auctoritate, quamobrem non ut Rex, sed tanquam Tyrannus, hostis atque pestis humani generis removendus est; quicquid contra inimicum, contra talem Regem licet, Regem non amplius, sed lupum: quis enim lupo magis accensendus est, quam qui cives devorat? Nec in quemquam cadit, homines in civitate constitutos, atque, ne per vim aut injuriam aliorum Naturæ amitterent beneficia, imperium subeuntes, eò venisse dementiæ, ut, hòc Imperiò constitutò, omne jus Naturæ everterent, ac dehinc amplius utilitas publica ipsi curæ non esset, sed arbitriò Tyranni se deglubi atque jugulari paterentur. Imò ajunt. *Christus crucem subire suos jussit. Math. cap. 10. vs 38. Et cap. 16. vs 24. Marc. 8. vs 24. Luc. cap. 9. vs 23. Et cap. 14. vs 24.* Sed hisce verbis nihil aliud indicatur, quam quod æquò animò sine murmure castigationes divinas, ob horrenda nostra peccata à Deo nobis impositas, ferre atque excipere debeamus: & hoc æquè Regibus ac humillimis dictum est. Addunt: *Christi exemplo ad patientiam nos adduci oportet. Sit.* Sed hæc Christi benignitas minimè grassandi licentiam Regibus concessit, neque subditos tanquam oves ad lanienam deduci voluit. Objiciunt. *Fugam Christus concessit.* Verum hoc quidem: quibus præter fugam nihil patet, uti primi ejus discipuli virium inopes, per fugam sibi consulant: nihilominus tamen aliis remedia quævis adhibere licebit; hisce fugam concedendo, alios suis viribus uti, non vetuit Christus.

Longè æquius facerent isti Tyrannidis fautores atque patroni, si ejusmodi mansuetudinis exempla ipsis Tyrannis atque persecutoribus proponerent.

Abfit igitur ut istos audiremus, qui Majores nostros criminis læsæ Majestatis reos falsò accusant, quòd jugo sese Regis Hispaniæ substraxerint, atque pristinam vindicarint libertatem. Eheu, antequam ultima experti sunt, quid non perpessi sunt, quàm non calamitate percussi, quibus non emulsi vestigalibus. Denique, horrendum nefas! religionis auctoritas ad quæstum ab-

abducta est : & detestandâ illâ conscientiarum (ut ajunt) inquisitione introductâ, sub specie cultus divini, divitum opes, ipsis inauditis, ærario addictæ sunt, postquam corpora eorum atrocissimis percruciata essent tormentis. Iterum atque iterum vices eorum dolui, nunquam nisi gratô animô illorum fortunæ miseræ ac jactatæ memini.

DEUS tandem Iberorum scelerum pertœsus, vindicem se præbuit : Philippum II. Tyrannum impiissimum propriis subditis punivit, facultatem atque animum Majoribus nostris concessit, quô sibi Naturæ beneficia recuperarent.

Hanc jam libertatem, tantô labore, tantô sanguine, tantâ molestiâ partam, in perpetuum nobis incolumem servet, DEO TER OPTIMO MAXIMO preces adhibeo.

Licet in Tyrannorum vitia graviter animadverterim, tamen ne unquam talia, de Rege, qui in regio suo versatur munere, proferam, faxit DEUS. Hic enim meritò cognominatur pater civium, atque orbis terrarum diliciæ : tradente illud Suetonio de Tito Vespasiano, in ipsius vita.

Quid Regi conveniat, eruditissimè enarrat SALINAC in tractatu suo lingua Gallicâ conscripto; cujus rubrica est *Avantures de Telemaque lib. 2.* hisce verbis *Il peut tout sur les peuples; mais les loix peuvent tout sur lui. Il a une puissance absolue pour faire le bien, & les mains liées des qu'il veut faire le mal. Les loix lui confient les peuples comme le plus précieux de tout les dépôts, à condition qu'il sera le pere de ses sujets. Elle veulent qu'un seul homme serve, par sa sagesse & par sa modération, à la filicité de tant d' hommes, & non pas que tant d' hommes servent par leur misere & par leur servitude lâche à flater l'orgueil & la moleste d'un seul homme. Le Roi ne doit rien avoir au dessus des autres, excepté ce qui est necessaire ou pour le soulager dans ses penibles fonctions, ou pour imprimer au peuples le respect de celui qui doit soutenir les loix. D'ailleurs le Roi doit être plus sobre, plus ennemi de la moleste plus exempt de faste & de hauteur qu'aucun autre. Il ne doit point avoir plus de richesses & de plaisirs, mais plus de sagesse, de vertu & de gloire, que le reste des hommes. Il doit être au dehors le défenseur de la patrie, en commandant les armées, & au dedans le Juge des peuples pour les rendre bons, sages & heureux.*

*Ce n'est point pour lui même que les Dieux l'ont fait Roi, il ne l'est que pour être l'homme des peuples. C'est aux peuples qu'il doit tout son temps, tout ses soins, toute son affection, & il n'est digne de la Royauté qu'autant qu'il s'oublie lui même pour se sacrifier au bien public.*

## Caput Nonum.

### *De Natura Servitutis, & potestate Dominicâ.*

**E**ò quod Princeps à Domino longè sit distinctus, hâc de causâ varia illorum est potestas. De Principe egimus. Servitutis originem spero me demonstraturum.

Sors Dominum à Servo, non autem Natura distinxit, idcirco omnis servitutis Natura non est ejusdem generis; nam aliquando evenit, ut paciscatur de servitute, dum quis mavult operas præstare, quàm fame premi, vel ferrò aut igne mortem cum vita commutare: interdum contingit ut quis ab hostibus captus, à victore vinciat, atque ad pœnam reservetur.

Quod ad primum: Pactum de servitute interpositum, utriusque, & domini & servi attingit utilitatem; nam servus perpetuas operas domino pro alimentis, iisque, quæ vitæ necessitas exigit, promittit: servitutem enim nullus appetit, nisi quatenus commodum ex ea sibi provenire queat, majorisque mali evitandi gratiâ. sic apud *Plaut. Cas. 2. 4. 14. Liber si sum, meò periculò vivam, nunc vivò tuò*: eòdem modò, non quia mors mala est, sed ob tædium vitæ, quis precibus eam à DEO interdum exoptat.

Manifestum igitur est introductas esse servitutes, per misericordiam servandi, qui occidi possent. §. 3. *Inst. de Jur. pers.* Ex dictis colligitur, domino ad utilitatem suam servò suò uti licere, atrociter eum habere, aut vexare, servitutis naturam nequaquam permittere. Nam qualemcunque ei fortuna imposuerit personam, nihilominus haud definit esse homo, quò ad stultitiam aut turpitudinem abuti, non patitur sana ratio. Eàdem

122

ratione *Lex XII. tabb.* tutori administrationem in rebus pupillaribus concessit, ne pupillus res suas perderet, atque furioso administrationem bonorum interdixit: idem effecit *Lex Lætoria* circa prodigos, stultis adæquatos.

Non nescius sum jure Romanô quondam dominis in servos concessum fuisse jus vitæ ac necis; hunc nempe in finem, ut contumacia illorum coerceretur, nec disciplina ulli rectius, quam domino videretur committi, cujus intererat servum suum coerceri atque servari: quâ lege cum abuteretur, mutata atque abrogata est: ita ut querela servorum jure novô audiatur, ac dominus ob intolerabilem sævitiam servum bonis vendere conditionibus cogi possit. §. 2. *Inst. in med. de his qui sui vel alien. jur.* Quod si eum occiderit, tenetur lege Corneliâ. §. 2. *All. Inst. junct. l. 23. §. 9. D. ad leg. Aquil.*

Nunc de altero casu, si victor victum, obtortô collô, abduxerit, nec ulla de servitute intervenerit pactio, dicendi locus erit. In jure Naturæ uterque constitutus, suæ injuriæ vindex est, nam victor jure belli, quem subegit, quôvis tempore & locô interimere potest: huic quoque, datâ occasione, victorem è medio tollere, atque aufugere liberum erit: utrique par juris est, neuter alteri credit; jure belli, nullô pactô sublatô, salvô manente.

Quod de privato in privatum diximus; quin & idem de populo in populum dicamus? populus enim cui victoria cessit, in debellatos eodem jure utitur, ac singuli in singulos. Quam ob causam si Rex jure belli populum in suam ditionem redegit, & de servitute conventum sit, contra hunc jus domini exercet.

Cum servis crudeliter agere, neque Regi neque privato licet: ne vita iis supplicium, mors solatium evadat, contra servitutis naturam; nam ut vitæ parceretur, in servitutem confenserunt.

## Caput Decimum.

*Principem legibus non esse solutum.*

**G**ravis hæc quæstio, ac non rarò magnis animis agitata, an Princeps, quæ talis, legibus sit solutus, finem huic opusculo impositura est.

Ne illotis manibus hanc aggrediar, duplex præmittenda erit distinctio, quæ adhibitâ non ardui laboris erit totam absolvere.

1. Vel agitur de lege Naturali, vel de Civili.

2. Vel solutus est ipsò jure; vel voluntate populi ac consensu.

Si de legibus Naturalibus quærat, nequaquam hæc Princeps solvitur: quippe quæ Divinâ constitutæ providentiâ omnes gentes hominesque in perpetuum obligant: nullâ distinctione adhibitâ inter Regem aut Populum; Dominum ac Servum; Magistratum & Subditum: quibus Principem solutum profiteri, fœda adulatio & mera videretur nequitia. Omnes homines in statu Naturali æquales esse evicimus: Naturæ legibus æquè supremos Reges ac humillimos mortalium alligari, ultrò sequitur.

Mihi objectum iri scio, quod Princeps DEO teneatur lege Naturali, non autem civibus; quia à civibus ad earum observantiam cogi non oporteat: re attentius ponderatâ, nullius momenti hæc erit argumentatio; non enim de facto sed de jure quæstio est: licet enim sæpius via civibus præclusa sit, quæ Principem cogere possiat, datâ tamen occasione unusquisque de se cogitet, ne frena, equorum more invitatus pati teneatur. Sic *Phædr. lib. 4. Fab. 4. & Horat. lib. 1. Epist. 10.*

*Cervus equum pugna melior communibus verbis*

*Pellebat, donec minor in certamine longo*

*Imploravit opes hominis, frenumque recepit:*

*Sed postquam victor violens discessit ab hoste,*

*Non equitem dorso, non frenum depulit ore.*

Licet nunquam civibus, quæ à Tyranno se liberent, præbeatur facultas, nihilominus ab ipsâ Natura damnatur, & DEUS aliquando eorum causam dijudicaturus est.

Huc

Huc refer, quod præter communem causam, quæ hominem à peccatis abhorreret monet, peculiâris quædam accedat, in persona delinquentis fundata. *Juvon. Sarr. 8.*

*Omne animi vitium tanto conspectius in se*

*Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.*

*Cic. Tuscul. Quest. lib. 2.* „ Ut enim si Grammaticum se professus quispiam, barbarè loquatur, aut si absurdè canat, is, qui se haberi vult musicum, hoc turpior sit, quàm in eo ipso peccet, cujus profitetur scientiam. Sic Philolophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior est, quod in officio, cujus magister esse vult, labitur, artemque vitæ professus, delinquit in vita. Quibus mihi addere permiseris. Si Princeps cui regnum à populo committitur, hunc in finem, ut sui commodi quodammodo immemor, totum se ad civium salutem protegendam devoveat: si, inquam, is, contra Naturæ regulas quicquam moliat, graves perfolvere pœnas tenetur, ac si apud eum reipublicæ cura non esset deposita.

Præterea Naturæ officia Principi nemo mortalium unquam rectè remisit: hoc enim modò totus perverteretur ordo Naturalis, & sanctissimum illud Naturæ institutum cordibus omnium infixum, immutabile, mutaretur.

Principem æquè ac cæteros homines Naturæ legibus devinciri nihil est certius, nihil æquius, nihil humanius.

Procedendum nunc erit ad alteram divisionis partem, ac, quid juris circa leges Civiles obtineat, enucleandum.

Ne quidem hisce solum Principem sentio, ad utilitatem enim communem Civiles leges ferre debet, quæ si justæ sint atque civibus conducant, quidni ipse iis alligeretur? Quid, Princeps leges conderet, quibus cives coercerentur, & ipse contra illas committeret?

Vim sanciendo leges, easque abrogandi si hoc omnibus expediat, à populo atque est; nec ideo supra leges dici poterit: quas semper servare tenetur, quæ si iniquæ fiant atque reipublicæ contrariæ, illico erunt mutandæ.

Constat igitur Regem nequaquam ipso jure legibus solum esse neque Naturalibus neque Civilibus.

Interdum tamen casus existere potest, quò populus quasdam leges



## 24 DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS.

leges merè Civiles Principi remittere videatur: nempe si expressis verbis hanc ipsi concesserit gratiam: eòdem modò S<sup>C</sup>tum Augustum lege Cincià solvit; quanquam *Dion Cassius* omnibus solutum affirmet. *lib. 53. p. 590.* Sententiam huic oppositam in Corollariis defendere me præsentem præbeo.

Elegantiora longè de hac re si non nemo desideret, legat CL. NOODT, totius Academiae immortalè decus, Dissertationem, nunquam pro dignitate laudatam *de Jure summi Imperii & Lege Regià.*

F I N I S.

## COROLLARIA.

I.

*Princeps non est solutus legibus.*

II.

*Usucapio in genere non repugnat juri Naturæ.*

III.

*Mulier non potest renunciare F<sup>C</sup>to Vellejano.*

IV.

*Tutor ob latam culpam remotus, non est infamis.*

F I N I S.





Österreichische Nationalbibliothek



